19

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA PECTORIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


LUDOVICUS C. KINCHELA,

Hibernus,

A. B. T. C. D.

COL. REG. CHIRURG. IN HIBERNIA LICENTIATUS.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.



EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO PERQUAM HONORANDO,

JACOBO BUTLER,

COMITI ORMONDIÆ ET OSSORIÆ, VICECOMITI THURLES,

BARONI ARKLOÆ HIBERNIANÆ,

NECNON LLANTHONIÆ VALLIANÆ,

COMITATUS KILKENNIENSIS

PRÆTORI ATQUE ROTULORUM CUSTODI,

TURMÆQUE KILKENNIENSIS MILITUM DOMESTICORUM

PRÆFECTO;

VIRTUTIBUS, QUÆ HOMINEM CIVEMQUE ORNANT

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

OB AMICITIAM ET COMITATEM IN PATREM COLLATAS,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

SACRAM VULT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANGINA PECTORIS.

Auctore Ludovico C. Kinchela.

PRÆFANDA.

De nullis valetudinis adversæ generibus, quam de morbis cordis nuperi et hodierni sæpius scripsere: nec sane ars apollinaris argumentum habet obscurius, inquisituve dignius: eo enim tenebris quodammodo versatur, quod cuivis hujus visceris morborum plura signa cum aliis omnibus communia sint; nec desunt ejusdem vitia, vitæque

satis infesta, quæ nulla indicia clara, homine adhuc spirante, patefaciunt. CORVISARTIUS profecto, ALLANUS BURNS, aliique, multa olim incognita retexerunt : neque vero non plurima hucusque latent, posterorum ingenio invenienda. Summos medicinæ honores ambiturus, *Anginam Pectoris* selegi, hujusce opusculi argumento : morbum gravissimum, et de quo medici haud leviter inter se dissensere : quem luce me nova collustraturum haudquaquam profiteor. In animo est, iis, quæ summi auctores, nempe HEBERDENUS, FOTHERGILLIUS, WALLIUS et PARRIUS, ediderint, prolatis, vera et comperta e falsis atque inanibus, quantum opis sit meæ, discernere.

Quamvis medicos apud vetustiores de hoc morbo siletur, non ideo idem defuisse judicandus. Potius conjicio veteres scriptores hunc et plures alios morbos nequaquam raros eo nescivisse, quod parum mortuorum corporibus secandis assueti essent.

MORGAGNIUS atque HEBERDENUS, ni fallor, omnium primi *Anginæ Pectoris* indicia clarius depinxere : neque non complura utilissima adjecerunt PARRIUS, NALLIUS atque FOTHERGIL-

LIUS.—Quo nomine designari debeat, non inter medicos convenit: alii *Syncopen Angentem*, sive *Anginosam*, alii *Suspirium Cardiacum* vocarunt. Illo nomine uti nolo, quod anima vix hoc malo tortis deficit: hoc autem paulo obscurius est. *Anginam Pectoris* appellare malo, quippe quæ voces notarum præcipuam denuntiant, nec aliquid dubii amplectuntur. Ordone, *Adynamiæ*, an *Spasmi*, rectius eam complectatur, anceps hæreo; cur dubitem mox patebit. Ita vero definire placuit: "Motus cordis, mente cor-"poreve commoto, subito impeditus: angor circa "præcordia impatibilis, metum instantis mortis "illaturus: dolor cordis, ad mammam humerum-"que, læva sæpius, ascensurus."—Sequitur ut notas inquiramus.

DE SIGNIS.

Angina Pectoris non continenter urget; at *Asthmatis* instar, accessiones et integritates vicissim exhibet. Homo inter ambulandum aut currendum, in acclivibus locis, ex improviso corripi solet; eoque potius, vento adverso, ciboque

jam accepto. Quidam sane, mente perturbata, afficiuntur.

Initio angit sensus gravitatis et molestiæ ad præcordia relatus. Aliquanto postea, angor pectoris quæsitissimus et pene impatibilis accedit, sinistrorsum paulo inclinatior, jam instantis fati metum incussurus. Ægro ipsi pectus arcto quasi ligamento cingi, *sternum* que retrahi videtur. Dolor simul acutus cordi partibusque ei vicinis insidet; exinde mammam humerumque læva petiturus, modo ad finem usque musculi *deltoidœi* descensurus, alias, ad extremos digitos. Brachium inter hæc persæpe torpet. Etiamsi lævum plerisque, nonnullis tamen dextrum, aliis, utrumque, torquetur. Infelix tanto mortis extemplo venturi timore vexatur, ut illico ambulare desinat: sibi equidem, nisi quiescat, periturus videtur. Spiritus languidius et crebrius quam fert natura, trahitur et emittitur; nec vero graviter nec difficulter. Modo profecto, malis acerbioribus, æger vix omnino spirare percipitur. Cor tam exiliter salit, ut, digito admoto, tantum non conquievisse sentiatur: summis auctoribus freti, usuque docti, idem palpitare negamus: quamvis

enim ista nota a quibusdam subesse traditur, aliunde potius quam a morbo proposito, proficiscitur. Mens insigniter languet, at citra animæ defectionem. Vultus multo sæpissime expallescit, et frons gelido humet sudore. Vox faucibus hæret: deficit vorandi facultas: artus frigent. Neque vero æger penitus soporatur, aut prorsus sui movendi fit impotens. Secernenda et excernenda parum secernuntur et excernuntur. Quosdam tussis exercet.

Nisi hic morbus jam diuturnitate firmatus inveteraverit, omnia signa supra relata, homine quiescente et sedente, vel cubante, statim decedunt, integrum relictura: accessio nimirum non amplius partem horæ duodecimam vel sextam permanet. Quoties reditura sit, dictu est difficile: quippe quod plures causæ moderantur. Non pauci complures annos postea immunes vixerunt, quam primam subierint accessionem. Quod si *Angina Pectoris* radices altius quasi corpori infixerit, accessiones crebriores fiunt, diutius trahunt, animo corporeve quam levissime permoto accendendæ, nec quiete et decubitu fugandæ: subinde homo vel tussire, sternuere, singultire, vel

desidere impune, id est, citra accessionem, non potest. Quidam, hac ipsa jam torquente, derepente perierunt: plerique vero hydrope superventuro absumuntur.

Notæ supra memoratæ longe plurimis hoc malo implicatorum contingunt: nec tamen desunt abnormia. Interdum vultus turget et purpurascit: nonnulli ructant, exinde expediti. Alii difficulter anhelant: quidam suspiriis editis, anima accepta aliquamdiu continenda, capiteve retrahendo, levantur. Modo, scapula fulcro innixa, dolor quievit. Hæc et multa istiusmodi ad corporum proprietates, aliaque cordis vitia, cum hujus morbi propriis mista, referri posse videntur.

QUÆ PATEFACTIS CADAVERIBUS APPAREANT.

Corporibus hoc morbo absumptorum introspectis, multa secus atque fert natura oculis obveniunt: quæ tamen parum ad ejus sedem causamque continentem illustrandam operæ contulerunt. Ex iis quædam proculdubio cum hoc morbo nexu intimo sociantur; quædam adventitia alio releganda videntur.

Cor ipsum longe sæpissime amplificatur: fibræ ejus motrices præter consuetudinem teneræ flaccent, pallent, facile dilacerandæ. Intima ejus penetralia vel in os conversa, certeve aliquantum rigere, videntur. Cor lævum aut vacuum est, aut non nisi pauxillum habet sanguinis. Arteriæ quarum est cor alere, nunquam non vitiosæ reperiuntur; modo scilicet æquo crassiores et quasi in cartilaginem versæ, simulque angustiores; alias passim aut ex toto osseæ. Membrana earum intima semper *fibrina* secreta obducitur: unde tantum non imperviæ fiunt.

Siquidem notæ jam dictæ ab omnibus medicis, qui mortuorum corpora secuerint, traduntur, easdem præcipuas esse, hujusque morbi genitrices judicare licet.

Interdum cordis valvulæ, præsertim lævi, osseæ rigidæve apparent: nec semper integra est arteria magna, ubi se arcuat. Quæ, etsi *Anginam Pectoris* nec moliantur, neque constituant, haud raro tamen eam comitantur; eadem enim actione vitiosa, quæ cætera supra relata parit, enascuntur.

Pulmo sanus esse consuevit : vasa ejus profecto subinde turgent; cellulæque spiritales pituita spumante scatent. Hæe autem morbus propositus potius facit, quam sequitur.

Aliquando cor adipe grave, ejusque capsula latice superfluere observantur.

Morgagnius aliique edocuerunt, sanguinem defuncti resolutum et tenuiorem vix aut ne vix quidem sua sponte concrescere : nullam tamen exinde lucem *Angina Pectoris* accepit.

Denique, cartilagines costarum, arteria *carotica* interior, aliæque partes subinde osseæ factæ, eandem actionem, quæ cordis arterias nutrices vitiavit, alibi quoque valere testantur.

DE CAUSA CONTINENTE.

Si in animo habeamus, perpetuum fere esse, ut cor ipsum palleat et flacceat, ejusdemque arteriæ nutrices vitiatæ parum officio perfungi valeant, intellectu non erit difficile, hunc musculum *Angina Pectoris* cruciatis perquam fieri imbecillum : arteriis nimirum *coronariis* male se habentibus, cor non rite ali; ideoque pallescere

atque debilitari. Nonnulli istam fibrarum motricium cordis infirmitatem causam esse continentem contendunt; ideoque ordini *Adynamiæ* hoc malum subjecerunt. Haud sane inficiandum, quin cor istis vitiis labefactum, arteriis simul et venis integris, fons sit omnium signorum præcipuus.

Meminisse autem juvat, morbum, de quo agimus non continenter torquere; at invicem accessiones atque integritates exhibere. Cum vero constat cor assidue imbecillum esse, altius exquiramus necesse est: causam enim continentem oportet esse cordis habitum, jam urgente accessione. Qualiter, igitur hic musculus tunc temporis se habet? Cor *spasmo*, malis jam torquentibus, rigere videtur: aliunde enim signorum ratio deduci nequit. *Spasmum* porro denuntiant cor non palpitans, angor iste quæsitissimus, signaque omnia derepente invadere et abire solita.

Uti paucis igitur absolvam, *Anginæ Pectoris* accessiones *spasmo* fibrarum cordis motricium continentur: hæ arteriis nutricibus vitiosis infirmatæ ad *spasmum* subeundum aptæ fiunt: quem demum excitant atria cordis, inter ambulandum,

currendum, &c., sanguine præter naturam distenta et irritata.

DE SIGNORUM RATIONE.

INTER ambulandum, currendum aut equitandum, mala hujus valetudinis propria accedunt, eo quod sanguis exinde pede citiori per arterias et venas circumfluit : quo fit ut cor præter naturam infirmum, hisce integris, eum celerius et copiosius accipiat, quam ejiciat : ideoque ultra debitum distendatur et incitetur. Hinc nascitur *spasmus* fibrarum motricium, de quo retuli.

Angor pectoris quæsitissimus, fati mox venturi timorem illaturus, partim ad cordis atria et pulmonis vasa plus æquo repleta, partim ad *spasmum* cordis, referendus est.

Cordis dolorem ejus fibræ *spasmo* tortæ moliuntur. Exinde, necnon ejus atriis sanguine refertis, nervi irritantur. Cum vero nervus *phrenicus* lævus surculos *pericardio* largitur, qui nexu intimo cum *plexu axillari* committitur, hinc fortasse patebit doloris ad mammam et humerum læva ascensuri ratio.

Cor non palpitat, eo quod ejus fibræ *spasmo tonico* obrigent.

Anima non deficit, quod angor impatibilis hominem protinus quiescere et cubare cogit. Siquidem in aprico est sanguinem parcius et non vi idonea ad arteriam magnam deferri, vultus palleat, arteriæ languide moveantur, artusque frigeant, necesse est.

DE CAUSIS ABDITIS.

Obesi, pleni, speciosi, adque senium jam vergentes, præ aliis opportuni sunt, quos aggrediatur *Angina Pectoris*. Ætas vero provectior homines eidem subeundæ aptat, ex eo quod cor, quanto diutius saluerit, tanto fit imbecillius: quod insuper arteriæ omnes, atque idcirco cordis nutrices, ea potissimum ætate, vitiari cœpisse solent. Corpus sanguine plenum huic morbo favet: quo enim vasa magis referciantur, eo plus ambulationem, cursum aliudve incitamentum, cordis atria tumefacere et irritare oportet. Nonnulli contendunt alia præ aliis corporibus jure quasi hæreditario in eundem incidere: quibus confidere no-

lo: complures enim eo laborarunt, quibus avi, proavi, parentes, nati, omnes denique consanguinei, immunes vixerunt.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.

Morbum, de quo agimus, excitabunt, quæcunque corpus impleant, cursumque humorum circumeuntium celerent. Exinde enim cor ultra modum intendatur necesse est. Corpus autem implent victus opimus et abundantior, ignavia, exinanitiones solitæ suppressæ, veluti alvus tardior, cursus sanguinis e venis *hæmorrhoidalibus* menstruave repressa; et quæ sunt hujusmodi.

Motum sanguinis celerant, et inde *Anginam Pectoris* cient, equitatio, cursus, ambulatio citior, nisus musculorum graviores, quales inter vomendum, sternuendum, tussiendum, desidendum, onerave ferenda, eduntur: quinetiam, animi motus acriores, veluti ira, gaudium, terror repentinus, mœstitia, &c. Denique, nosse juvat, quo jam diutius mala traxerint, sæpiusque plexuerint, eo facilius, eoque levioribus noxis evidentibus illatis, accessiones renovari.

DE DIAGNOSI.

Angina Pectoris, nisi eo sæviat ut voce hominem destituat, non ægre ab aliis valetudinis adversæ generibus dignoscitur. Potissimum *Asthma*, *Aneurisma arcus Aortæ*, et *Hydropem* pectoris, refert. Quousque hisce malis distet, quam paucissimis ostendere nitar.

De Asthmate et Angina Pectoris invicem discernendis. — Siquidem complura malorum, quibus *Asthma* et *Angina Pectoris* homines exercent, non nisi conquerentibus ægris, medico patescunt, alterum ab altera, si vox deficiat (id quod sæpe accidit), vix discerni posse, manifestum est. Vi igitur eloquendi deleta, signis ipsi medico evidentibus insistendum. Quem vero premit *Asthma*, ei sibilus inter inspirandum editur, qui, *Angina Pectoris* cruciante deest. Quinetiam, illo vexatus noctu corripitur, summa difficultate spirandi afficitur, pituita multa mane extussita expediendus: hac contra implicatus, interdiu et vehementer commotus laborare incipit;

spirat languide potius quam difficulter; quies denique, non sputum, omnia mala solvit.

De Aneurismate arcus Aortæ et Angina Pectoris invicem dignoscendis.—Omnia mala, quæ ex arteria magna, ubi se arcuat, *aneurismate* tumida nascuntur, continenter urgent: huc accedit cor admodum palpitare, arterias inæqualiter moveri, spiritum haud citra summum laborem trahi et emitti; tandem porro, arcum aortæ sæpe extrorsum ferri, et efficere ut os pectoris pressum resorbeatur. Quibus perspectis, dubitare non licebit.

De Hydrothorace et Angina Pectoris invicem discernendis.—Signa *Hydrothoracis* propria assidue affligunt: multa insuper eorum *Anginæ Pectoris* non adsunt; nimirum, spiritus gravissimus, nec nisi erecto corporis trunco trahendus et ducendus; sensus humoris, exagitato pectore, intus fluctuantis: cordis motus abnormis, quies nocturna diris somniis soluta; brachium torpens; aqua pedum intercus. Quæ

satis superque medicum errantem dedocebunt, consilii ancipitem illustrabunt.

De Hydrope pericardii et morbo proposito, inter se dignoscendis.—*Hydrops pericardii*, instar *Hydrothoracis*, assidue ægrum affliget: torquet porro signis sui similibus; qualia sunt spiritus non tantum difficillimus, verum etiam corpore supino quam erecto, erecto quam antrorsum inclinato gravior: cordis porro pulsus duplices, uti videtur, et infra sedem solitam digito sentiendi. Præter hæc, manu imposita, liquor circum apicem cordis fluctuare percipitur: vexant quoque plura signa pectoris hydropis propria.

Denique, *Angina Pectoris* a quovis alio cordis morbo discernitur, corde non palpitante; animo non linquente; spiritu potius languescente quam gravi: quinetiam, dolore, atque angore fatum instans minitaturo.

DE PROGNOSI.

Quoniam cordis vitia fere omnia medicinæ auxilio cedere nequeunt, *Anginam Pectoris* sæ-

pius non medicabilem esse constat. Nulla enim ope arteriæ nutrices cordis, quæ vitiosæ hujus mali fonti sunt habendæ, sanum habitum recipere possunt. Multo sæpissime ars medica non nisi ad signa lenienda, mortemque tardandam, valet: serius ocyus homo, aut robore sensim contrito aut pectoris hydrope superventuro, succumbit. Spes profecto non prorsus abjicienda, siquis nec senio, nec luxu aliundeve confectus ægrotat; si porro mala nondum diu perstiterint, neque crebras aut diuturnas accessiones sibi præferant. Medicus autem vel artis apollinaris peritissimus hoc unicum exequi potest: nimirum, vitæ victusque genere idoneo, causis sublatis aut evitatis, venisque justo plenioribus vacuefactis, diem supremum tardare poterit.

Omnia denique metum, nulla fere spem incutiunt; sive causas abditas, sive causam continentem, morbique sedem, contemplemur. Neque nihili habendum est, medicinam penes esse ægrum mulcere, et fatum aliquamdiu arcere.

DE CURANDI RATIONE.

Hucusque argumento absoluto, sequitur, ut inquiram quibus medicinæ auxiliis ægro succurri possit. Quæcunque vero remedia adhibeantur, duo consilia potissimum rationem medendi dirigunt et complectuntur. Hæc vero sunt,

I. Accessiones, causis fugandis et tollendis, præcavere.

II. Easdem jam præsentes lenire, et quam celerrime solvere.

I. Quo accessionibus futuris obviam eatur, causas evidentes evitare, abditasque, quantum fieri possit, debellare oportebit. Nec tantummodo fugienda sunt, quæ corpus impleant, cor arteriasque cieant, viresque labefactent, (huc enim spectant causæ evidentes et abditæ), verum etiam medicamina concedi debent, quæ corpus repletum vacuefiaciant, incitatum sedent, infirmum roborent. Utendum igitur alvi purgantibus, exulcerantibus, *digitalis purpureæ* foliis, victuque

simplici et concoctu facili. Porro sanguis interdum mittendus: necnon quædam ex metallis præparata aliquando juvant. De his, quam paucissimis, disserere in animo est.

De alvi purgatione.—Permagni refert, ut alvus naturæ convenienter quotidie descendat, sordeque omnigena irritatura liberetur. Tanto enim consensu instrumenta concoquendi cum corde sociantur, ut illis perturbatis, hoc rite officia exequi nequeat. Quinetiam, alvi purgatio, perito moliente, corpus plenius, citra virium resolutionem, extenuat Initio dandum *Submurias Hydrargyri* pulvere radicis *convolvuli Jalapæ* mistum; dein quivis salium mediorum. Hinc intestinum crassius penitus exinaniri debet. Deinde, efficiendum est, ut homo indies dejectum eat, at citra alvi fluxum copiosiorem; vel ingesto cibi genere ad eam rem habili, vel radicis *Rhei palmati* pauxillo subinde sumpto.

De exulcerantibus.—Ulcera extenuare optime jam diu medicis innotuit. Persæpe igitur materia exinde demi consuevit: eoque magis hæc deplendi ratio præ aliis *Angina Pectoris* tentatis convenit, quod robur parum conterit. Mo-

do ulcus excitatur, piso unguento *meloës vesicatorii* oblito, cuti incisæ infixo: alias, filo eidem acicula transfixæ immisso; alias imposito *emplastro meloës vesicatorii*, adipeve *Tartrate Antimonii* et *Potassæ* misto. Præstat ope *Tartratis* jam dicti, quam *meloës vesicatorii*, exulcerare; quippe quod inflammationem *phlegmonicam*, ideoque minus ad gangrænam proclivem, accendit.

De Digitali purpurea.—Siquidem folia *Digitalis purpureæ* cor arteriasque concitata vehementer sedant, eadem interdum hoc morbo affectis opitulatum iri constat; nisi profecto indoles corporis propria eadem concedi vetet, (quod subinde accidit). Si præcipere opus sit, *Tinctura* optime conveniet, quæ scilicet minus quam ipsa folia concreta, nauseam movet. Ei rite accedit quodvis *aromatum*, quo minus gravetur ventriculus.

Omnia medicamina exinaniendo accommodata, vomitus moventibus exceptis, ægrum pleniorem juvare poterunt. Vomitus tamen eo conquassat, ut metuendum, ne accessionem provocet.

De victu idoneo.—Cibus ex media materia confectus aptissimus est; qualis corpori satis

alendo, nec simul præter naturam saginando et incitando, accommodetur. Potus meraci aut prorsus fugiendi; aut, si vitæ genus prægressæ id non patitur, certe quam paucissime concedendi. Quod ad vivendi rationem, frigus vestitu habili arceri debet; quantumque fieri possit, menti atque corpori quiescendum erit, dummodo secernenda et excernenda probe secernantur et excernantur.

De sanguine mittendo.—Venas necne vacuefacere oporteat, haud inter medicos convenit: conjicere igitur licet, modo imbecillos et tenues, modo plenos *Angina Pectoris* torqueri. Legem certam de hac re ferre nequeo. Haud sane inficiandum, sanguinem vix unquam, nisi periculo jam instante, mitti debere. Plenus enim aliunde tutius extenuari potest: nunquam venæ largius deplendæ; metuendum enim ne hydrops et valetudo fracta id excipiant. Si quando medicus sanguinem sit missurus, uncias circiter decem vel duodecim elicere satis erit. Quantum vero dematur, prudentem docebunt vultus, arteriarum motus, necnon alia ejusmodi. Nunquam accessione urgente, vena icenda, nisi equi-

dem alius quivis morbus cum proposito sociatus postulet: omnia scilicet accessionis propria corpus tunc exinaniri vetant. Nonnulli præparatis ex *Cupro*, *Argento*, *Zinco* et *Ferro* utuntur; nempe *ammoniareto Cupri*, *Nitrate Argenti*, *oxydo albo Zinci*, et *Tinctura Muriatis Ferri*. Hæcne ministrentur, ad vires cibi concoctrices juvandas, an ad cor debile firmandum, incertus hæreo. Parum iis confidendum opinor.

II. Quo accessiones jam præsentes leniantur, aut fugentur, quam primum ægro quiescendum et cubandum: nec alio opus erit auxilio, ni mala acerbiora vexent. Quies enim efficit, ut sanguis non multo postea æqualiter ad omnes corporis partes deferatur, ideoque cor expeditum *spasmo* rigere desinat. Quod si mala perstent, confugiendum erit ad ea remedia, quæ *spasmum* solvere consueverint: qualia sunt *Opium*, *Æther sulphuricus*, *Moschus*, *Castoreum*, *Ammoniæ Carbonas pyro-oleosum*, *Camphora*, *Oleum succini*. Inter hæc præpollent *Opium* et *Æther sulphuricus*; quæ simul mista ingeri debent, sicut *Tincturæ opii* guttæ circiter XL, *Æthe-*

ris drachmæ adjiciantur. Pauxillum *Alcoholis* meraci, *Spiritusve Gallici, Indici* aut *Batanici*, subinde insigniter profuit. FOTHERGILLIUS atque HEBERDENUS *Opio* potissimum freti accessiones fugarunt. Haud ignoro *opium* alvum tardare, et secernenda et excernenda omnia reprimere. Non autem ideo nocebit : remedia enim, inter integritates adhibita satis isti *opii* actioni obviam ire poterunt. Si hisce medicus fideliter usus fuerit, accessiones *spasmi* solventia jam relata unica desiderabunt.

Quidam, accessione urgente, cutem summam circa os pectoris rubefecere vel exulcerarunt, imposito *oleo ammoniato*, vel oleo *Tartrate Antimonii* et *Potassæ* misto, vel quoque *emplastro Meloës vesicatorii*.

Hæc omnia minoris existimo : nec sane tunc temporis auxiliabuntur ulla remedia, nisi quorum est celeriter agere.

Jam notavi quosdam venam secuisse, jam cruciantibus malis. Quod si recte de hujus morbi judicavimus, constat sanguinis missionem non *Syncope* ipsius quam *Anginæ Pectoris* naturæ magis alienam esse. Si vero inquiratur, perpe-

tuum sit necne ut venæ non sint deplendæ; respondeo, hunc morbum aliis cordis aut pulmonis vitiis non sociatum, modo medicus rite, inter integritates, curaverit, nunquam, accessione tentante, venam ici postulare. Fieri tamen potest, ut aliis malis huic adjunctis, vultus aliquando purpurascat, et spirandi difficultas accessionem comitetur. Sanguis igitur mitti debere poterit; haud tamen propter *Anginam Pectoris*, sed eadem non obstante. Parrius aliique, qui de hoc auxilii genere utendo scripsere, ita sentire videntur: præcipiunt scilicet, ut pauxillum sanguinis dematur, unciæ VIII. vel X., ægro supino jacente, atque incisura quam exilissima.

Denique, si accessio diuntina sit, præter *spasmi* solventia jam memorata, perflatu libero opus erit; cervices monilibus, omnigenaque veste arctiori expediendæ: homini cubandum: necnon, si artus frigeant, in tepidarium descendendum; certeve membra frictione aliundeve fovenda et tepefacienda: quo, sanguine æqualiter per omnes ejus rivulos distributo, cor onere gravante liberetur.

FINIS.